



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio V. Utrùm quælibet Persona secundùm se totam sit in tota alia
Persona ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

ideoque non dicitur Circuminfessio. Additur, quod Circuminfessionis nomen denotat, esse personas, quæ in se invicem veluti sedent permanentes, atque morantur.

103. Argues 11. Licet Filius dicatur esse apud Patrem juxta illud: Joan. 1. *Et Verbum erat apud Deum*: non inde sequitur Patrem esse apud Filium, aut apud Spiritum Sanctum, neque Filium apud Spiritum Sanctum; ergo etiam licet Filius sit in Patre, non inde sequetur, Patrem esse in Filio, neque Filium in Spiritu Sancto, aut è contra. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia præpositio *apud* denotat subsistentiam, conjunctionem, & auctoritatem principii, quam habet Pater respectu Filii, ideoque Filius dicitur esse apud Patrem, non tamen è contra: at verò præpositio *in* magis universaliter denotat præsentiam, & conjunctionem inseparabilem, quæ quasi per differentias contrahitur ad conjunctionem principii cum termino producto, & termini producti cum suo principio, ideoque & Filius in Patre, & Pater in Filio; & Pater & Filius in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in utroque est.

SECTIO V.

Utrum qualibet Persona secundum se totam sit in tota alia Persona?

104. **P**RÆSENS quæstio duas complectitur partes: Prima, an totus Pater sit in Filio, ita ut non solum Essentia, sed etiam relatio seu proprietates Paternitatis sit in Filio, & Spiritu Sancto, & è contra. Secunda, an Pater totus sit in toto Filio, ita ut non solum sit in Essentia Filii, sed etiam in relatione, seu proprietate Filiationis, & Spirationalis passivæ, & è contra. Hoc posito.

105. Dico 1. Totus Pater, non solum secundum Essentiam, sed etiam secundum proprietatem, sive relationem est in Filio, & Spiritu Sancto, & è contra. Ita Doctores infra citandi n. 109. Probatur auctoritate Sanctior. Patrum D. Cyril. lib. 1. *The-saur. cap. 6. 7. & 8.* ubi docet, *hypostasim Filii esse in hypostasi Patris, sicut Solus splendor est in luce.* Et lib. 3. cap. 1. *Filius, ait, in Patre, & Pater in Filio est, sicut character, sicut imago, sicut splendor, ac similitudo Patris; hæc autem voces omnes pertinent ad relativam proprietatem constitutivam Filii.* Et D. Damascen. lib. 1. *fidei cap. 10. Tres hypostases in se invicem astruit, & immanentiam in se invicem hypostasison; hypostasis autem primariò, per se, & magis explicitè importat relativam proprietatem, quam Essentiam; sicque non sola Essentia, sed tota Persona cum sua proprietate relativa est in alia Persona.* Et D. Hilar. lib. 6. *de Trinit. Patrem alloquens: Cognovi te, inquit, in Deo Deum, non ex permutatione confusum, sed ex virtute Naturæ: dum quod tu Deus es, in eo, qui ex te est, inesses. Non ut idem tu esses, & inesses: sed inesse te in eo, qui ex te esset, perfectæ nativitatæ veritas edoceret.* Ubi notandum est illud: *Non ut idem, ex quo significatur, inesse Patrem in Filio etiam secundum id, in quo ab eo distinguitur.* Idem habent D. Amb. lib. 3. *de Spirit. Sanct. cap. 1. D. Fulgent. ad q. 3. Ferrandi. D. Ansel. in Monolog. cap. 57.*

106. Dico 2. Totus Pater est in toto Filio, & in toto Spiritu Sancto, & è contra. Ita Doctores infra citandi

n. 109. Probatur primò auctoritate Sanctior. Patrum D. Dionys. *de Divin. Nomin. cap. 2. docuit, divinas cælestias, lumina tota in totis esse.* D. Greg. Nyssen. *orat. de Deitar. Filii. Totus Pater, ait, in toto Filio est, & totus Filius in toto Patre.* Et D. Basil. *Epist. 43. Totus Filius, inquit, in Patre manet, & totum vicissim in se ipso Patrem habet.* Et D. Athan. *orat. 4. contr. Arian. Est Pater in Filio, inquit, eo quod quidquid est Filius, id universim sit proprium substantiæ Patris.* Et D. Cyril. lib. 3. *The-saur. cap. 1. dicit: Quia omnia Patris Filii sunt, conversim quoque: verè dicit: Ego in Patre, & Pater in me est.* Et D. Aug. lib. 6. *de Trinit. cap. 10. In summa Trinitate, inquit, tantum est una, quantum tres simul sunt; nec plus aliquid sunt duæ, quam una, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

Probatur secundò ratione, quia Christus Dominus Joan. 14. sic ait: *Qui videt me, videt & Patrem meum*; sed, qui videt Filium, non videret Patrem, si solum videret Essentiam communem; opus enim esset videre insuper Personam Filii, & in ea Personam Patris; ergo non sola Essentia, sed etiam Personalitas Patris cernitur, & existit in tota Persona Filii.

Probatur tertio, quia unaquæque Persona sigillatim sumpta tantæ perfectionis, & magnitudinis est, ut non sint aliquid majus, aut perfectius tres Personæ simul sumptæ, quam una sigillatim ut ex D. Aug. proximè cit. diximus; sed hoc verificari non potest, nisi quia unaquæque Persona continet in se ipsa omnes perfectiones, etiam relativas aliarum Personarum, ut indicat idem D. August. ergo &c.

Dubium majus est: Utrum non solum Essentia, sed etiam Relatio personalis uniuscujusque Personæ sit primò, & per se in tota alia Persona? Affirmativè. Ita D. Thom. 1. p. q. 42. art. 5. *Scor. in 1. dist. 19. q. 2. Aureol. ibid. p. 1. a. 1. & 2. Carthus. ibid. q. 1. Capreol. ibid. q. 1. Deza. ibid. q. unica. Caiet. 1. p. q. 42. art. 5. Torres. ibid. D. Bonav. p. 1. art. unico. Ocham. Gabr. in 1. dist. 19. q. 2. art. 3. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 9. Marfil. in 1. q. 22. art. 2. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 16. n. 8. P. Vasq. 1. p. d. 169. cap. 2. P. Motin. 1. p. q. 42. art. 5. & alii, quos citat, & sequitur P. Ruiz. d. 107. sect. 4. n. 8. & 9. Probatur primò ex locis Sacrae Paginæ supra adductis n. 83. quæ simpliciter docent, Filium esse in Patre, & Patrem in Filio; sed hoc plenius, & perfectius verificatur, si totus Pater per se primò ratione sui totius sit in toto Filio, & è contra; ergo &c.*

Probatur secundò ex Sanctis Patribus supra citatis n. 84. 105. & 106. qui asserunt, totum Patrem esse in Filio; sed non ita totus esset in Filio, si solum ratione Essentiæ communis esset per se primò in Filio; per accidens autem, & ex consequenti ratione proprietatis personalis, siquidem jam tunc maneret extra Filium secundum relationem Paternitatis, ita ut hæc non esset in Filio, nisi sola denominatione proveniente ab Essentia, quod tamen est contra Patres locis citatis; ergo &c.

Confirmatur primò, quia hypostasis magis principaliter, & formaliter dicit proprietatem relativam, quam Essentiam; sed Sancti Patres, ut diximus, docent, hypostasim esse in hypostasi; ergo docent hypostasim, etiam secundum relativum, esse in hypostasi principaliter, & formaliter. Secundò, quia formalitas, quæ reduplicatur, ut ratio, propter quam aliquid convenit, non se habet ad illud per accidens, & secundariò; sed Sancti Patres

Patres supra citati reduplicant proprietates relativas, dum dicunt, unam Personam esse in alia; siquidem dicunt, Filium esse in Patre, sicut *characterem, splendorem, & imaginem*; & Spiritum Sanctum esse in Patre, sicut *Spiritum oris*; hæc autem dictiones non tam ponuntur ad explicandam similitudinem, quam ad denotandam reduplicationem formalitatis, secundum quam una Persona postulat esse in alia; ergo &c.

112. Probatur tertio, quia unam Personam esse in alia, non est formalitas pure absoluta, & essentialis, ut patet ex terminis; ergo per se, ac quidditative continet aliquid relativum, & notionale; consequenterque per se, & quidditative convenit Personis, etiam secundum proprietatem relativam. Confirmatur, quia licet Essentia dicatur esse in Persona, & relatio dicatur esse in Persona sine reali distinctione extremorum; talis modus existendi in alio, non est realis; sicut realis non est modus, quo species dicitur esse in genere, & genus in specie; sed immanentia, secundum quam Pater est in Filio, & Filius in Patre, est realis, & ut talis traditur à Patribus, & Scholasticis; unus autem non est realiter in alio, nisi realiter sit unus, & alius; ergo cum Pater, & Filius sint unus, & alius realiter distincti secundum proprietates relativas, secundum illas per se sunt unus in alio.

113. Probatur quarto, quia hæc immanentia unius in alio, formaliter est intima præsentia supposito- rum indissolubiliter conjunctorum ratione consubstantialitatis, & Immenfitatis; sed ipsa Paternitas est intimè præsens, non tantum Essentia, sed etiam Filiationi, & Spirationali passivæ, & indissolubiliter conjuncta cum illis ratione consubstantialitatis; ergo etiam Paternitas est per se primò in Filio, & Spiritu Sancto.

114. Oppositum tenent Henricus 2. p. sum. a. 53. q. 10. Durand. in 1. dist. 19. q. 3. Richard. in 1. dist. 19. art. 2. q. 3. ad 1. & 3. pro quibus: Argues 1. Si Paternitas esset in Filio, & Filiatio esset in Patre, Pater esset Filius, & Filius esset Pater; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut negavimus supra n. 95. aliud enim est esse Patrem, & aliud esse in Patre; sicut aliud est esse Deum in creaturis, & aliud esse creaturam: ut enim Pater esset Filius, & Filius esset Pater, debebat Paternitas esse in Filio, & Filiatio in Patre per identitatem Personæ, ita ut talibus Personalitatibus constitueretur, quod tamen est falsum, ut diximus loco citato; solum enim vicissim sunt in Personis per identitatem Naturæ, & intimam Circuminfessionem.

115. Argues 2. Si una Persona esset per se primò in alia etiam secundum proprietates relativas, jam hæc mutuo communicarentur; sed hoc est falsum, ut patet ex supra dictis, solum enim absoluta sunt communia; ergo &c. Resp. negando majorem: in Divinis enim ea solum communicantur, quæ identificantur: at verò proprietates relativæ sunt mutuo in Personis, non per identitatem in illis, sed per intimam cohabitationem, & inexistentiam in eisdem.

116. Argues 3. Si Pater esset in Filio etiam secundum proprietatem relativam, Pater non solum Naturam, sed etiam Paternitatem dedisset Filio; sed hoc est contra Concil. Florent. sapius cit. dicens, Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem; ergo &c. Respondeo negando majorem: non enim est idem, Patrem esse in Filio per Circuminfessionem, atque ei dare Paternitatem; siquidem Paternitas prout sic non est in Filio, ut

ejus proprietates, sed ut proprietas Patris.

Argues 4. Proprietas est ratio distinguendi; ergo non potest esse ratio essendi in alia; consequenterque una Persona non est in alia secundum Proprietatem. Respondeo rationem distinguendi non posse esse rationem essendi in alia per identitatem; posse tamen per intimam cohabitationem, & inexistentiam.

Argues 5. Si una Persona esset in alia etiam secundum proprietatem, sequeretur, proprietatem Patris, & Spiritus Sancti esse cum Verbo in Christo Domino; consequenterque non solum subsistentiam Verbi, sed etiam Patris, & Spiritus Sancti, terminare naturam humanam; sequela autem est falsa; ergo &c. Respondeo proprietates Patris, & Spiritus Sancti esse quidem cum Verbo in Christo Domino, non tamen ut subsistentias Verbi, sed Patris, & Spiritus Sancti. Unde licet ibi sint per Circuminfessionem, non tamen reddere subsistentiam, & terminatam naturam humanam; sicut non reddunt subsistentiam ipsum Verbum.

Argues 6. Si Personæ Divinæ essent mutuo una in alia, fundarent relationem mutua præsentia, darenturque aliæ relationes in Divinis præter quatuor assignatas; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo Personas Divinas non fundare relationes reales mutua præsentia distinctas: tum quia fundamentum est idem in omnibus, nempe eadem Immenfitas: tum etiam, quia proprietates relativæ ob sui infinitatem, sicut non fundant relationes reales similitudinis, æqualitatis, aut diversitatis distinctas, ita neque relationes præsentia, sed se ipsis intimè sibi mutuo quoad omnia respondent.

Argues 7. Illud, in quo est aliud, ut contentum in continente, debet excedere, aut esse plus aliquid, quam illud, quod est in ipso; sic enim Pater ratione totius Patris excedit, & est plus aliquid, quam Filius, prout existit in Patre ratione solius Essentia; & è contra; sed non ita Pater excederet Filium, neque Filius Patrem, prout unus est in alio, si ita essent ad invicem secundum Essentiam, & proprietates relativas, ut consideranti patebit; ergo &c. Resp. majorem non esse universaliter veram; nam *ubi* corporeū neque excedit, neque exceditur à corpore locato: neque *spatium* excedit, aut exceditur à corpore, quod illud occupat: & totum est in partibus, & partes in toto, ut ait Philosophus 4. *Phys. cap. 3. text. 23.* & tamen partes simul sumptæ non excedunt, neque exceduntur à toto. Unde si in creatis necessarium non est, ut illud verificetur, multò minus in Divinis Personis, quarum modus in se invicem immanendi altior est, & nullum habens exemplum in rebus creatis.

Argues 8. Si aliquid secundum se totum primò, & per se est in alio, etiam æquè primò est in illo alio quælibet ejus pars; ergo si Pater secundum se totum æquè primò est in Filio, quælibet pars ipsius Patris æquè primò erit in Filio; consequenterque æquè primò erit in Filio Paternitas, ac Deitas Patris; sed hoc non est dicendum: alioqui sicut Filius dicitur Deus propter Deitatem, quæ est in eo, ita etiam diceretur Pater propter Paternitatem, quæ in illo est æquè primò, ac Deitas; ergo &c. Respondeo Paternitatem æquè primò, ac Essentiam esse in Filio, sed non eodem modo: Paternitas enim est in Filio non tanquam quid essentialiter eum constituens, ut constituit Deitas, sed ut suppositivitas constituens principium immanenter productivum, & intimè, ac indissolubiliter conjunctum,

conjunctum, & præfens Filio, qualis est Pater, ideoq; licet Filius sit Deus propter Deitatem, quam in se habet, non sequitur esse Patrem propter Paternitatem.

122. Argues 9. Esse ad aliquid, & esse in aliquo sunt habitudines diversæ; sed habitudo Patris ad Filium secundum relationem est ad aliquid, nempe ad Filium; ergo secundum eandem non est habitudo in aliquo, nempe in Filio; consequenterque Pater non est in Filio secundum Paternitatem. Respondeo argumentum solum probare, relationem non esse ipsam rationem formalem, in qua formaliter, & expressè consistit immanentia unius Personæ in alia: non tamen quod cum ipsis relationibus prout constituunt Personas realiter distinctas in eadem essentia, non sit per se conjuncta, & implicite inclusa habitudo existendi in se invicem.

123. Argues 10. Quod non est commune duabus Personis, non potest esse ratio, propter quam una sit in alia; sed Paternitas, & Filiatio non sunt communes Patri, & Filio, imò per illas distinguuntur realiter; ergo non possunt esse rationes, propter quas Pater sit in Filio, & Filius in Patre. Respondeo negando antecedens: imò completa, & adæquata ratio, propter quam una Persona sit in alia, debet æquè primò constare, tam ex illa formalitate, quæ communis est utrique Personæ, quam ex illis formalitatibus, quibus ab invicem realiter distinguuntur, ut patet ex rationibus adductis.

SECTIO VI.

De Missione Divinarum Personarum.

124. **A**DVERTENDUM est, sicut Deus habet quædam prædicata in tempore, quæ ei competunt in ordine ad creaturas, prout unus est essentialiter, & sunt communia toti Trinitati, dicunturque essentialia, ut esse Creatorem, Conservatorem, & Dominum rerum omnium: ita habere quædam alia prædicata in ordine ad creaturas, quæ etiam ei competunt in tempore, prout est distinctus personaliter, suntque propria Personarum, & dicuntur notionalia ad extra, ut esse Missum, Incarnatum, Manifestatum, &c. de quibus in præsentia agendum nobis est. Sit igitur:

125. Difficultas 1. Quid sit Missio? Missio ex suo generali conceptu propriè accepta prout colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. & Scholasticis communiter definitur potest: Processio unius ab alio ad aliquem terminum, seu ad aliquod munus, consilio, & autoritate mittentis peragendum. Hinc colliges primò, Missionem importare duplicem respectum, unum missi ad mittentem, & alterum missi ad terminum, ad quem mittitur. Secundò, missum ex vi talis missionis incipere esse in termino, ad quem mittitur, aut simpliciter, ut sagitta v.g. missa à sagittario incipit esse in loco, in quo non erat: aut novo aliquo modo, ut Verbum Divinum, quod cum ubique esset in creaturis, novo titulo, & modo incepit esse in Humanitate Christi Domini. Hoc posito.

126. Facile intelligi potest, quid sit Missio Personæ Divinæ: Est processio unius Personæ ab alia, à qua virtutem, seu auctoritatem habet ad aliquod munus in creaturis specialiter peragendum. Sive ut ait P. Sear. lib. 12. de Trinit. cap. 1. n. 6. cum D. Thom. 1. p. 2. q. 1. 1.

q. 43. art. 1. Durand. in 1. dist. 15. Caiet. Ferrar. in 4. contr. gent. cap. 23. Est processio unius Personæ ab alia cum habitudine, seu connotatione effectus temporalis.

Difficultas 2. Utrum, & quomodo Personis Divinis competat Missio? Dico 1. Missio, tam activa respectu Personæ mittentis, quam passiva respectu Personæ missæ, convenit Personis Divinis. Est de fide, adeò ut nemo hæcenus Hæreticorum illam simpliciter negare sit ausus, licet eâ abutantur ad Divinarum Personarum inæqualitatem arguendam. Ita Magist. in 1. dist. 15. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. P. Sear. lib. 12. de Trinit. cap. 1. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 1. P. Tanner. q. 4. d. 4. dub. 9. n. 1. P. Ruiz. d. 108. de Trinit. sect. 1. n. 1. P. Amicus d. 28. n. 1. P. Præposit. 1. p. q. 43. art. 1. dub. 1. n. 2. P. Arrub. d. 147. cap. unico n. 1. P. Arriaga d. 55. n. 1. & alii. Probatur primò auctoritate Sacræ Scripturæ. Matth. 10. Qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Luc. 20. Mittam Filium meum dilectum. Joan. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, &c. Et cap. 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Et cap. 6. Ut credatis in eum, quem misit ille. Et infra: Sicut misit me vivens Pater. Et cap. 7. Est verus, qui misit me. Et infra: Ab ipso sum, qui misit me. Idem habet cap. 8. 10. 11. & 12. Et ad Rom. 8. Deus Filium suum mittens. Et ad Galat. 4. Misit Deus Filium suum, & alibi.

Probatur secundò specialiter de Spiritu Sancto. 127. Joan. 14. ibi: Quem mittet Pater in nomine meo. Et cap. 15. Quem ego mittam vobis à Patre. Et cap. 16. Si autem abiero mittam eum ad vos. Et ad Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filii sui. Et 1. Petr. 1. Spiritu Sancto missio de celo. Et Psal. 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ, & alibi; ergo &c. Probatur tertio ratione, quia Personis Divinis convenit definitio Missionis; ergo & ipsa Missio.

Dico 2. Non solum dona creata, quæ Filio, & Spiritui Sancto appropriantur, sed etiam ipsæ Personæ Filii, & Spiritus Sancti sunt, & dicuntur missæ. Probatur primò, quia loca Scripturæ proximè citata manifestè denotant ipsammet Personam Divinam esse missam; siquidem Joan. 14. dicitur: Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, &c. munus autem advocati, consolatoris, magistri, docentis, & suggerentis non exercet accidentarium donum, & creatum, sed Persona subsistens, & increata; ergo &c.

Probatur secundò, quia Spiritus Sanctus, qui mittitur, est objectum Angelos beatificans, ut patet 1. Petr. 1. Spiritu Sancto missio de celo, in quem considerant Angeli prospicere; sed donum creatum non est objectum beatificans Angelos, sed solum Personæ Divinæ; ergo non solum dona creata, sed ipsæ Personæ mittuntur.

Probatur tertio, quia non solum dona creata, quæ appropriantur Personis Divinis, sed etiam ipsæ Personæ Divinæ dantur hominibus, ut patet ex illo ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Et 1. Cor. 6. Filius datus est nobis; ergo non solum dona creata, sed etiam ipsæ Personæ Divinæ mittuntur ad homines; siquidem, cum Missio supra rationem solum addat processionem æternā, ut ex infra dicendis constabit, quæcumque Persona mittitur, quando datur, si procedit à Persona dante.

Dico 3. Missio secundum imperium, consilium, preces, nudam voluntatem, aut processionem localem non cõvenit Personis Divinis. Ita Doctores

Ggg g

supra